

et posterius dicebant, quare neque numerorum ideam astruxerunt. Id nusquam est apud Platonem, neque etiam apud eum est quod τὸ ἀγαθόν, *bonum sit* in singulis praedicamentum. In quibus etiam si sit bonum, quid est, quod infert non esse in his communem aliquam ideam? Quasi idem sit idea et bonum. Haec vero longissime inter se distant. Bonum enim ipse Deus est. Ideae sunt prima entia, et si alio significato bonum per omnia dicatur praedicamenta, nihil habet rei cum idea.

Neque sequitur, etiamsi eorum, quae sub una idea sunt, unam esse scientiam, ut eorum, quae sub bono sunt, scientias esse diversas. Quod vero dubitare ait, quid sibi velint:⁹⁰ *Ipsium singulum siquidem in ipshomine et homine una et eadem ratio est hominis.* [336] Dubitatio futilis, nam si nostratem hominem definias, aies esse animal rationale risibile, mortale, quorum nullum ipshomini convenit: falsum ergo eandem esse rationem.

Neque verum est:⁹¹ *Quatenus enim homo, nihil different.* Cum nulla essentialia eorum eadem sint, illa incorporea, haec corporea: illa vere substantia, haec umbra.

Neque itidem verum est:⁹² *Neque quia aeternum est, magis bonum erit.* Docuit enim De ente capite ultimo aliud esse genere incorruptibile a corruptibili. Talia autem quo ad perfectionem magis et minus clare suscipiunt. Nam si ratio Aristotelis vera esset, verum quoque esset coelum non esse hisce nostratibus perfectius.

Neque exemplum quadrat:⁹³ *Neque albius, durabilius diali:* namque nullam habet durablem rationem aut proportionem ad aeternum, et durablem et diali eiusdem generis sunt.

⁹⁰ ἀυτοέκαστον [τὸ αὐτὸ ἕκαστον], εἶπερ ἔν τε αὐτοανθρώπῳ [τῷ αὐτῷ ἀνθρώπῳ] καὶ {έν} ἀνθρώπῳ εἷς καὶ ὁ αὐτὸς λόγος ἐστὶν ὁ τοῦ ἀνθρώπου. [ARIST. E N 1096a.35 – b.2]

⁹¹ ἢ γὰρ ἄνθρωπος, οὐδὲν διοίσουσιν. [ARIST. E N 1096b.2]

⁹² οὐδὲ τῷ αἰδίον εἶναι μᾶλλον ἀγαθὸν ἔσται. [ARIST. E N 1096b.3 – 4]

⁹³ μήτε λευκότερον τὸ πολυχρόνιον [πολυχρονιώτερον] τοῦ ἐφημέρου. [ARIST. E N 1096b.4 – 5]

^{xxii} Corr. ex est magis